

QK. 367, 6<sup>b</sup>

B. m. II 426

II n  
312

Σὺν τῷ Θεῷ

EX PHILOLOGICIS

De

GRÆCIA VERACE

PRÆSIDE

M. JOH. ANDR. KUNADO,


DISPUTABIT

MICHAEL Gebhardt/

Schneeb. Misn. Phil. Candid.

Ad d. 8. Octobr. A. O. R. LXII.

In Auditorio Minori.



WITTEBERGÆ,

Literis HENCKELIANIS.

61.





Σὺν τῷ Θεῷ.



*Aud immeritò Cicero lib. 1. de fin. bon. & mal. dixisse fertur: Quot homines, tot sententiæ. Illo enim describere satagit Philosophus diversitatem ingeniorum & sententiarum, quæ non ex uno capite colligi potest, sed semper ex alio alia. Nam non una est omnium facies, verum suo quisq; studio maximè ducitur, ut hic gloriæ seruiat, ille pecuniæ, alios dulcia, alios subamara delectent: alii libidinosi alii iracundi aut crudeles aut superbi sint, alii à talibus etiam abhorreant. Quot quæso principia rerum naturalium posuere Veteres, aut quot recentiores? Tot videlicet affirmarunt isti, quot hi negarunt. Usque adeo quisq; suos patitur manus! Nam liberalia ingenia non facilè captivantur ad certas easq; definitas autorum sententias, sed sibi relicta liberius philosophantur & collatis inter se sententiis veriore[m] amplectuntur, quæ ab aliis postea pro falsissima venditur. Hinc innumerabiles & undiq; sibi repugnantes opiniones prodierunt, quas si quis in unum congregaverit, inter homines constare non possit, quæ potior dicenda, aut cui magis parendum sit; adeò circa singula inter se pugnant atq; dissentiunt eruditi perpetuamq; hanc per seculalitem alunt & (quod ait Firmianus) unaquæq; secta omnes alias evertit, ut se suaque confirmet, nec ulla alteri sapere concedit, ne se desipere fateatur. A Philosophia progredimur ad artes humaniores, ubi plurimi exercitii*

eitii gratia aliquid suscipiunt, quod postmodum in animis ipsorum  
 altas radices agit, ut potius desperare velint, quam contrarium  
 profiteri. Et hoc usu venit in hoc, si verum quod dicitur, Pro-  
 verbio: *Græcia mendax*. Multi enim qui mendacem de-  
 scribere gestiunt, largi sunt in græco substituendo. Nos quoniam  
 probabilior esse videtur contraria sententia, proposuimus hac vi-  
 ce defendendam & probandam Græciam veracem. Quod ut  
 feliciter procedat, veneramur DEum & Patrem Domini nostri  
 Jesu Christi, ut suo S. Spiritu nobis adesse & totum institutum  
 adoptatum finem deducere non dedignetur.

§. 1.

Quid sit Ada-  
 gium?

**A**cturis jam de receptissimo quorundam Virorum adagio:  
*Græcia mendax*, prima statim occurrit quæstio enucleanda  
 nobis, quid sit adagium? Antequam autem illud definiamus, lu-  
 bet ejus *Synonymiam* paucis commemorare, qua *Proverbium* di-  
 citur tale verbum quod pro multis est vel quod multis potest ap-  
 plicari, vel quod pro alio verbo seu sensu supponitur. *Varroni* est  
*Adagium*, quod è sua prima ac propria significatione agitur ad a-  
 liud indicandum. Cæteras libenter præterimus, cum parum se-  
 cretioris eruditionis quin etiam emolumenti in illis deprehen-  
 datur. Accessus faciendus est ad rem ipsam cujus descriptionem  
 cum *H. Stephano* in *Dicaarcho Sympractore Dialogo* p. III. ita damus  
 expeditam: *Adagium est Verbum seu sententia, cui aliquid subest, de*  
*quo omnes aut plerique & quidem major hominum pars inter se con-*  
*sentiunt.*

Quod Adagii  
 Genus?

§. 2. *Generis loco stat Verbum cum annexa sententia. Verbum*  
 quidem non *Logicum*, tanquam altera pars *Enunciationis*, sed  
*Philologicum*, hocque in latiori significato, ut sive nomen sit  
 sive verbum, semper sub notione verbi venire necessum habeat.  
 Superadditur *sententia*. Non enim omne *Proverbium* uno verbo  
 exprimitur sed interdum tota sententia commemoratur, qua-  
 lis est hæc sequens *Erasmi*: *Nemo unquam benefactori bovem im-*  
*mola-*

molavit, præter *Pariam*; Vel *H. Stephani*: α' Ὀροδίων ὄρον ἔν ἐμ-  
πρόνιου, Et innumera alia, quibus libri Proverbiales Erasmi,  
Vic. Gifelini, Hadr. Junii & aliorum sunt referti.

§. 3. *Orationem* excludendam esse reor, cum sententia *An Oratio ge-*  
strictiorem aliquem conceptum involvat quam oratio. Non *nus adagii esse*  
enim omnis Oratio sententia est, sed omnis sententia est oratio, *possit?*  
sicut omnis causa principium est, non omne principium causa.  
Consequentia patet, quia sententia semper locum communem  
includit, qui ad præsentem causam vel personam potest accom-  
modari: Oratio verò aliquid enunciat, quod l. simpliciter affir-  
matur vel negatur. Hinc Oratio definitur à *Philosopho*, quod sit  
vox significans ex instituto, cujus pars aliqua significat separa-  
tim ut dictio, sed non ut affirmatio aut negatio: Sententia ve-  
rò est commune aliquod dictum, continens præceptum de vita &  
moribus aut de vulgari rerum eventu loquens. Quapropter de  
formali Orationis erit affirmari aut negari, quod in sententia  
non simpliciter necessarium est, quippe quæ præsupponit vulga-  
re aliquod præceptum. Ex imperativis autem & similibus Ora-  
tionibus nullam Propositionem fieri, Logicis non ignotum est.  
Nihil jam dicam de Genere remotissimo, quod aliàs à Definitio-  
ne aut Descriptione exulare debet, ne pagellæ crescant & potior  
tractatio quasi sufflaminetur.

§. 4. *Differentiam* absolvunt reliqua verba: cui aliquid sub- *Quæ differen-*  
est, de quo omnes aut pleriq; *Et quidem major hominum pars inter se*  
consentiunt. Per τὸ subesse differt adagium ab enunciatione fini- *tie?*  
ta simplici, quæ simpliciter aliquid de aliquo dicit aut removet,  
neque curat, utrum ad hunc an ad illum dictio referatur. τὸ ali-  
quid repræsentat materiale, de quo personarum consensus fit &  
applicatio. Si enim nihil subesset, nihil etiam prædicari de ipsis  
posset. Enim verò Non Entis nullæ sunt affectiones, nulla præ-  
dicata. *Materiale* autem voco verborum phrasiumque sensum  
& significatum, quæ singularem emphasin habent & stimulum  
Auditori relinquunt, sive jam alicujus mentio fiat, sive minus. *For-*  
*male* est omnium aut plerorumque aut majoris hominum par-  
tis

tis inter se consensus. Consentunt quidem in familiari colloquio personæ, verum an illorum dicta probeantur à pluribus an improbantur, adhuc sub iudice lis est, quod tamen in Proverbio necesariò requiritur.

An Græcia  
mendax Pro-  
verbium sit?

§ 5. His ita confectis, quæritur: *An etiam Græcia mendax sub Proverbii nomine veniat?* Quid hic statuendum fiet, plane ambigo. *Affirmativam* tueri posse non facile dixerim, cum *Clasficorum Virorum* nemo id expresserit aut cordatiores & à sequiori sententia liberi Philologi unquam deliberata mente illud applicuerint. *Negativam* defendere arduum & difficile est. Ubi enim affirmativa desideratur, quam qualemque Tibi persuadebis negativam, cum affirmatio semper negatione prior sit? Excerceamus ingenium & dicamus in tantum, in quantum melior ratio suppedat Græciam potius veracem, quam mendacem esse.

Negativa  
prob.

§. 6. In antecessum autem notavimus, formale Proverbii esse, omnibus aut plerisque saltem posse applicari. Ponamus, fuisse quosdam mendaces, Ergòne totam nationem hoc vitio laborare concludemus. (Prædicatum verò intelligi debet de substrata materia, Græcorum nempe propagine.) Quod quia in Græcia desideratur, equus & benevolus Lector nos habebit excusatos, si dicemus: Græciam mendacem non esse Proverbium. Evolvantur deinde Oratores clasfici, consulatur *Cicero*, perlegatur *Quintilianus*, conferantur omnes, quibus modò.

*De meliore luto finxit præcordia Titan,*

Nullibi illud inveniri posse, planè mihi persuadeo. Quod de *Græca fide* dixit Cicero, quod de *Arte Palasga* Virgilius cecinit, postmodum in resolutione adversæ partis argumentorum declaraturus sum. Locus Juvenalis.

*Velificatus Athos & quicquid Græcia mendax  
Audet in historia;*

Nos non movet, cum is Poëta sit, & Antonomasiam usurpârit aut illud Horatii animadverterit: *Pictoribus atq; Poëtis:*

*Quodlibet audendi fas est.*

§. 7.

§. 7. Nunc probandum nobis incumbit, *veracem potius An Græcia quam mendacem Græciam* debere appellari. Qua de re sequentes damus rationes. *Objectum Veracitatis* est τὸ ἀληθές quod vel in sermone & verbis, vel in actionibus vel in moribus & gestu corporis totaque vita considerari solet, ita ut in illis nihil sit fictum, simulatum & falsum, ut ait plur. Rever. & Excellent. Dn. D. Wendererus Præceptor & Promotor noster de venerandus in Instit. Phil. Pract. pag. 324. Quod si jam res & facta Græcorum perpendimus, assidue illud eos observasse deprehendimus. Non enim reor, illos tam desperatæ malitiæ & impudentiæ fuisse penitus, ut quod falsum & aperte veritati è diametro contrariaretur assererent & pro vero venditarent. Sermo illorum fuit planus atque perspicuus, actiones & mores honesti, gestus denique corporis & tota vita tam moderata, ut religiosissimos quosque in Ecclesia non modò gravitate morum viteque inculpabilitate, sed etiam virtutum humanorum exercitio fermè equarent. Esto protulerunt fabulas; habuerunt fundamentum in re; ingeniosè excogitatæ fuerunt non solum ut veritatem adversariis eo melius occultarent, sed & ut ansam junioribus præberent, illam in involucris & fundo latitantem quærere & extrahere. Aliud igitur fabula est, aliud mendacium.

§. 8. Nec infirmum probationis robur addunt Scholæ à Scholis. apud Græcos olim decantatæ, in quibus artes liberales exercuerunt adolescentes. Jam Scholæ sunt bonorum omnium fontes & riuuli, sicut Xenophon lib. 1. Cyropæd. testatur, quod Cræsus Cyrum monuerit, ne incendat Sardes, Metropolim Lydiæ, ne una pereant τέχνας πηγαὶ καλῶν. Hoc autem præsupponimus, Præceptores & Juventutis Informatores bonos atque honestos viros esse, & in genere tales quibus illud Maronis possit applicari:

Qualis præceptor debeat esse?

*Disce puer virtutem ex me.*

Si enim hoc desideratur, tum necesse est, ut

*A bove majori discat arare minor.*

§. 9. Omnibus his exemplo esse potest Chiron Centaurus de quo multa Pindarus lib. 4. Pythiorum, ubi Jason Thessalus ejus

ab Exemplo Chironis.

eius discipulus describens ejus Scholam & domum dicit, annos se viginti apud Chironem commoratum neque interea factum aut dictum turpe pro locutum ἔ] ἔργον ἔ] ἐπὶ ἐν τρεῖς πελοὶ εἰπῶν. *Philostratus* in Heroicis scribit, quod ducuerit Principum Græcorum Filios: λόγους ἢ ἔργα ἢ τὰ πολεμικὰ ἐπαίδευε ἢ ἰατρικὴς ἀπέθανε ἢ μουσικὴς ἤθεοτε, καὶ δικάζεις ἐποίει βιώναι τε ἐπὶ μήκιστον. *Usq; adeò bono Præceptore uti multum est!*

à studiis Græcorum.

à Nominibus artium & disciplinarum.

ab exercitiis Græcorum.

§. 10. Hinc è Scholis prodierunt studia, ut *H. Stephanus* dicere non vereatur: *A Græcis præsertim ab Atheniensibus ea quæ humanitatis studia vocantur, manasse.* Per studia autem intelligimus disciplinas & artes humaniores, quæ adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis per fugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Huic sententiæ calculum addunt *Artium & Disciplinarum nomina*, quæ non in Latio, sed in Græcia nata esse videntur. Et ut ab ipsis rudimentis exordiar, quis Grammaticam non ἀπὸ τῆς γραμματικῆς derivare vellet? *Logica, Rhetorica, Physica, Metaphysica, Mathesis & similia Græcam Originationem sapiunt, quid? quod ipsa Theologia non à Græca Etymologia excludenda sit, sed uti nominis ratio postulat, id quod voce exprimit, re ipsa complectatur.*

§. 11. Quod si exercitia, quæ Græci haberunt, spectamus, nihil vitiosi aut inhonesti in illis deprehendemus. Ubi verò vitia exulant, & virtutes hospitium fixerunt, ibi certè non mendaces, licet interdum fallaces reperiantur, nascuntur. Meam causam jam dicant *Ludi & Agones Græcorum*, quorum *Victores Pindarus* gravissimo carmine decantavit. Vidisses non segnes atq; Phryges, sed laboriosissimos & exercitatisimos quosque *Viros Principes & alios de palma concertare.* (*Neg; enim admittebatur, qui vel celebritatem nominis decoquerat, vel sibi ipsi dedecus inusferat.*) Unde *Horatius* lib. 1. od. 1. multos esse dicit, quos *curriculo pulverem Olympicum collegisse juvet, metaque fervidis* (ob incredibilem velocitatem) *evitata rotis palmaq; nobilis Terrarum Dominos evebat ad DEos.*

§. 12.

§. 12. Nolo jam *Græcorum vitæ genus* commemorare, quod à vitæ ge-  
aliàs satis materiei esset sententiam nostram confirmandi. *vere Græ-*  
Tam castam enim tamq; virtuosam, colebant vitã, ut in con-  
fessibus falsa proferre summum piaculum ducerent. Unde Le-  
ge cautum erat à Lycurgo: μήποτε χρεῖσθαι τῷ λόγῳ παρέργως.  
Quid autem λόγῳ παρέργῳ sit, hujus cathedræ non est e-  
nucleare. Interim hoc videre licet, qualem in communi vixe-  
rint vitam, talem nempe, quæ neque honestati neq; morum  
gravitati contrariaretur, sed τ κοινὸν semper observaret. Con-  
firmat illud veterum Græcorum exemplum, quo *Matres*, re-  
ferente Plutarcho, pugnaturis contra hostem filiis præcipiebant: ἢ vi-  
κᾶν ἢ ἀποθνήσκειν, ἢ ἐπὶ τῷ κλεῖδι ἢ ἐπὶ τῷ κλεῖδι. id est, aut redire domum relato  
clypeo, aut contra hostem stando super clypeum occumbere. Hanc ob  
causam, quod citius mortem oppetere deceat, quam relicta  
non benè parmula domum redire & patriæ indelebile stigma  
timiditatis inurere.

§. 13. Admirabilis autem ille atq; planè incredibilis mos à fugien-  
Græcorum fuit, quo secundum Legem Solonis honoribus ab da Neu-  
dicabatur is, qui orta seditione nullam factionem secutus es- tralitate.  
set: κελύομεν ἀίμον εἶναι τὸν ἐνστάσει μηδ' ἐτέρας μερίδῳ γυνό-  
μενον. Scribit Plutarchus referente Neandro in Syn. Chron. Quod  
si jam mendaciis ita dediti fuissent, ut in Proverbium etiam  
abierit illorum vaniloquentia, num primam quamq; occasio-  
nem illos prætermisisse putares, non fraudulentia illaudata  
nocuissent sibi invicem? Qui enim medium se gerit & neutri stu-  
det parti, facile potest res suas ad circumveniendum alterum præpa-  
rare. Nam ambobus placere nititur, & hâc ratione privatum  
commodū sectatur partibusq; altercantibus persuadere po-  
test, quæ illis certissimum exitium non minantur modò, verū  
etiam superinducunt. Idcirco ut vitetur hoc, amore veritatis  
sanxerunt Legem, ne quis *Neutralem* se profiteretur.

§. 14. Auxiliatricem probationis manum mihi largiun- à Legum  
tur, quas nominavi *Leges*. Hæ enim ex Græciâ in Latium trans- possessio-  
latae sunt eo tempore, quo populares Leges per Dictatorem ne.  
fuerunt abrogatae. Cum enim plebs domi se opprimi à po-  
tentio.

B

tentio.



tentioribus experiretur, facta secessione Tribunos sibi creavit, quos Consulibus objiceret & Magistratus potentia ac Dictatoris imperio opponeret, qui senatum cogerent & coactum dissolverent aut etiam pro re nata pro ipsis intercederent. Cum autem paulò post magnæ contentiones inter plebem Patresq; de legibus ferendis exorirentur, Tribuni finem certaminum facere promiserunt, si Legislatores ex plebe & ex Patribus crearentur, qui Leges utrisq; utiles ferrent. Ne verò esset quis invidia locus, Leges extraneas habere placuit, missiq; sunt Legati Athenas, qui Solonis Leges describerent & aliarum Græciæ civitatum instituta, mores, juraq; cognoscerent, creatiq; tunc Decem Viri sunt. Hi allatas Leges Græcas in decem tabulis descriptas publicè proposuerunt. At cum Legibus Græcis aliquid videretur deesse, duas Tabulas adjecerunt, quæ proprias Romanas leges complectebantur. De quibus postmodum Cicero l. 1. de Orat. *Fræmeant omnes, inquit, licet, dicam quod sentio, bibliotheca me Hercule omnium Philosophorum unus mihi videtur de decem Tabularum libellus, si quis Legum fontes & capita viderit & autoritatis pondere & utilitatis ubertate superare.*

§. 15. Quod si jam Tota Græcia ex mendaciis conflata fuisset, certè non Leges, sed mendacia descripsissent Romani. Jam autem illæ fuerunt fontes, ex quibus omnis generis honestas fluxit & emanavit. His enim amor Dei, Parentum & Magistratus præcipitur, vitia è contra & perjuria taxantur ac prohibentur & via ad summum hujus temporalis vitæ bonum perveniendi præparatur. Deinde si famosum illud prædicatum Græciæ tantum attribui deberet, num Romanos, Ægyptios aut alios populos excludendos esse putares. *Neq; tandem commemorabo sententias & Apophtegmata Græcorum de veritate & mendacio, quæ aliàs in talis farina notæq; homines non facilè cadere solent. Sed & sicco pede transeam virtutes eorum, quæ vitiis oppositæ è diametro sibi invicem contradicere debent, quo suum cuiq; tribui jusserunt, neminem ledere aut virum bonum persequi docuerunt. Ita enim Opposita juxta se posita magis elucescent.*

§. 16. Restant *requisita viri veracis*, quæ ab Aristotele à *requisi-*  
aliàs recenseri solent, ut videlicet sit *ἰσχυρὸς*, *ἀνδραγαθὸς* & *τις Viri*  
*ἐλαττωλικὸς*. Hæc si Græciæ applicari posse probaverimus, *Veracis*.  
rem maximi momenti nos consecutos esse putabimus. Quia  
a. tota res per exempla expedienda est, (Aliàs enim semper  
peteretur τὸ ἐν ἀρχῇ) producemus insignes duas Respublicas  
*Atheniensem* & *Spartanam*, quarum altera fortissimos quosque  
aluit viros altera justissimos. Si jam enumerandus mihi esset  
Catalogus eorum, qui pro patria fortiter pugnantes occu-  
buerunt, dies potius me deficeret, quàm Oratio. Unicum ex  
utraque recensebo breviter: Cum iræ essent inter *Aristidem*  
*Atheniensem* & *Themistoclem* initio belli Persici, dixisse fertur  
ille, ut scribit *Herodotus*: *modò non irascendum sed pro patria pu-*  
*gnandum esse. ἡμεῶν εὐσιάζειν χρέων ἐστὶν ἐν τῷ δὲ ἄλλῳ καιρῷ ἢ δὴ*  
*ἔν τῷ δὲ περὶ ἑοκό τερῶν ἡμεῶν πλείω ἀγαθὰ τῇ πατρίδι ἐρ-*  
*γάζονται.* Usque adeò privado proposuit bonum publicum!  
*Leonides Spartanus* præliatus fortissimè ad *Thermopylas* con-  
tra *Xerxis* exercitum, cadit pro patria honestissimè & à *Vale-*  
*rio* lib. 3. c. 2. tali Encomio celebratur: *Leonides Spartanus toti*  
*Asiæ obiectus gravem illum & terra & mari Xerxem, nec homini-*  
*bis tantum terribilem sed Neptuno quoque compe des ac celo tene-*  
*bras (jaculis suis) minitantem, pertinacia virtutis aliquandiu re-*  
*moratus ad ultimam desperationem adegit, donec ipse quoq; forti-*  
*ter præliatus occumberet ἀντὶ γενόμενῳ ἀριστῶς,* nam hoc brevè  
elogio eum ornat *Herodotus* lib. 7.

§. 17. Nec alterum *requisitum* illis denegandum esse reor,  
quo vir verax in singulis dictis & factis per omnia sibi similis  
nihil in alterius gratiam fingit aut simulat. Nam qui modò  
Græcorum historiam primis labris degustarunt, *decantatum*  
*justissimorum Areopagitarum* iudicium exploratum habebunt.  
Quamvis autem non omnia Individua hoc elogio decorari  
possint, satis tamen est, si unico exemplo instantiæ loco Pro-  
positionem Universalem mendacis Græciæ infregerimus.  
Nam *Epaminondas* ne joco quidem nunquam falsum dixisse per-  
hibetur.



§. 18. *Tertium* denique quod attinet, quo vir verax sua non multum jactare magisq; propensus esse debet ad sua extenuanda quam amplificanda, & illud in hac natione deprehendere licet. Unde enim *Aegyptiorum commune effatum*: ὑμῶν ἔθνηδες αἰεὶ πᾶντες ἐστὲν, quam quod secum habitantes libentius videri voluerunt nihil scire quam aliquid propalare. *Idcirco cuicumq; omnia requisita Viri veracis competunt, ille magis veracis, quam mendacis nomen reportare debet.*

*Objectiones contra* §. 19. Nunc sub incudem etiam revocandæ veniunt *veracem* ceptiones & objectiones eorum, qui nihil crepant aliud, quam *Græciam* mendacem. Et ut auspiciam faciamus ex *Sacris*, versiculus ille *Epimenidis*, quem *Paulus in epistola ad Titum cap. 1. à dicto Apostoli Tit. 1, 12.* v. 12. citat: κερήτες αἰεὶ ψευταί, καὶ ἀθηναῖοι, γαστέρες ἀργαί, posset aliquid negotii faceere. Sed respondendum nobis esse videtur ibi agi non de Græcia, sed de Cretensisibus; non de tota natione, sed de certo populo. Soliti enim erant Creten- ses decipere, fallere & imposturis atque mendaciis quidlibet perficere, qui injurii erant adeò, ut à cæteris Græcis *inter tria Kappa pessima* numerati fuerint. Nec hîc locum habet Synecdoche Speciei, cum Titus non totius Græciæ, sed hujus tantum Insulæ constitutus Episcopus esset.

*à dubiis Oraculis Apollinis.* §. 20. Nec qui *λοξῶν* Græcorum ab *Apolline prolata Oracula* objicient, aliquid contra nos obtinebunt. Quamvis enim non inficias ire queamus, pleraq; *ἀμφιδέξια* & *ἐπαμφοτεροζόντα* fuisse, prout ratio locorum, temporum, gentium & personarum ferebat, & regno Satanæ & confirmandæ superstitioni ac idolomania prodigiosa ac portentosa gentium provehendæ conducere videbatur; multa tamen planiora etiam & clariora in Scriptoribus Græcorum deprehendere licet. Quicquid a. sit, nō video, an ab Oraculis *λοξῶν* Apollinis ad Totius Græciæ nationis mendacitatem (ut ita loquar) sit concludendum. *Apollo fuit ambiguus & mendax, non ipsa Græcia.* *Μυροτέχνης* enim ille serpensq; astutus illudit miseris hominibus, ut istum tantum sensum qui ex re ipsorum fore videbatur, elicerent, contrarium autem minus curarent, ut patet

patet exemplo Cræsi, Lydarum Regis, Pyrrhi, Cyri Majoris, Thesei, Philippi Regis Macedonum, Daphite Grammatici & aliorum quorum responsa Suidas, Cicero, Philostratus, Plutarchus, Pausanias, Ælianus & alii literis consignarunt.

§. 21. Ut autem causa Græcorum melius asseratur, à testimonio Thucydides & Ciceronis. operæ pretium me facturum esse duxi, si quid ipse Græcus de his Oraculis sentiret, commemorarem. Ita enim de illis Thucydides l. 5. historiæ suæ: ἀθανῆς ἐλπίς, inquit, μαντικὴ καὶ χηρισμός. Cui calculum addit Cicero l. 2. divinat. t. 4. p. 403. Nec Apollinis opertis credendum existimo, quorum partim ficta apertè, partim effutita temerè, nunquam ne mediocri quidem cuiquam non modo prudenti probata sunt. Et paulo post: Sed jam ad te venio.

O Sancte Apollo, qui umbilicum terrarum certum obsides,  
Unde Superstitiosa primum seva evasit vox fera.

Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit partim falsis ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione sepi-  
simè: partim flexilquis & obscuris, ut interpret egeat interprete  
& fors ipsa referenda sit ad sortes: partim ambiguè & quæ ad Dia-  
lecticam referenda sint.

§. 22. Hæc Sapientum fuit sententia de Oraculis suorum Deastrorum, restat ut ad exceptionem de Poëtis & seculo μιμη-  
τικῷ aliquid dicamus. Citavimus autem supra versiculum, ubi Græciæ haud infrequens fuisse dicitur, mendacium profiteri  
hominibusque in veritate imponere. Verum nos distingui-  
mus inter falsum & inter mendacium. Falsum enim potest esse  
in verbis, in re autem fundamentum habere, quod aliàs hy-  
perbole Ethica appellari solet, & Græcorum fabulis apprimè  
competit. Sed Mendacium dicit falsum contra conscientiam  
in verbis & operibus ex ingenii levitate ad contumeliam au-  
ditoris & proprium mentientis commodum. Deinde falsitas  
etiam oriri potest ex summa antiquitate, ubi ea, quæ Majo-  
res perpetrarunt, fabulis ferè quam veris narrationib9 pro-  
pria

à Poëtis  
Græcorū.

pria esse videntur posteris & nepotibus, ut *Plutarchus de veteri*  
*à Seculo rum Græcorum rebus ante Thesei tempora commemorat. Seculum*  
*μυνηλικῶ. μυνηλικῶν* referri potest ad diviniorem ingenii humani ve-  
nam, quæ per Græcorum canales & tubulos magis magisque  
effluxit. Miror autem maximoperè, quod quidam effectum  
suum prodiderint in affingendo Græcis mendacio exclusis  
aliis omnibus & præteritis Ægyptiorum Hieroglyphicis aut  
Phœnicum mendaciis aut Latinorum mutuatis *Φαντασμα-*  
*σι*, quæ ex Ovidii *Metamorphosi* loculentissimè potuissent  
demonstrari.

*à phra-*  
*seologia*  
*Ciceronis*  
*et Virgi-*  
*lii.*  
§. 23. *Græcam* denique fidem Ciceronis nervosè satis  
explicat *Giselinus* in Adagiis causamq; hujus Proverbii mon-  
strat his verbis: *Græca fides pro dubia et varia ponitur, quippe*  
*que nulla fuit, nisi præsentè pecunia oculitus creditori satis daba-*  
*tur. Artem autem Pelasgam Virgilius* ponit pro *Stratagemati-*  
*bis Græcorum* ad explendum versum, quæ sicut aliis populis  
non prohibita, ita nec Græcis vitio vertenda sunt, cum et  
ipsis animus cum Diis et corpus cum beluis commune fuerit, ut *Sal-*  
*lustius* inquit. Quapropter si quis hoc Epitheton Græciæ ap-  
plicare mallet, prius perspiceret omnes circumstantias, ex  
quibus illud natum est, quam ut eo utatur inconvenienter,  
essem autor; sin rem secus perageret, ille in optimam Græ-  
ciam satis injuriosus esse mihi videretur. Quod si autem quis  
pro mendace substituere vellet *fallacem*, nos in illo non habe-  
ret contradicentes. Ita enim et ingenium et natura Græcorum  
melius exprimeretur. Verum quia hæc propabilia saltem  
sunt, in utramque partem etiam de iis potest dispu-  
tari. Nos finimus hîc, dicentes DEO  
gratias immortales.

SOLI DEO GLORIA!

Ad

*Ad Humanisf.*

DN. RESPONDENTEM,

*Civem Meum.*

**Q**uòd sit, Paulus ait, clarissima Græcia  
mendax;

*Est eadem verax, civis amande, tibi.*

*Hæc malè conveniunt, & in una sede mo-  
rantur,*

*Hæc inter cùm sit maxima pugna duo.*

*Hanc bene componis litem, loquerisq; disertus;*

*Quo duo sint nobis, concilianda modo.*

*Gratulor hinc iterum patriæ de cive beato;*

*Mittat ut huc plures patria chara, rogo.*

MICHAEL WENDELERUS,

S.S. Theol.D. ejusdemq; P.P. Ex-  
traordinarius, & Phil. Mora-  
lis Ordinarius.



**G**Ræcorum ingenium ingenium est, non  
fabula mendax.

Hinc tibi ob ingenium culmen honoris  
adest.

f.

PRÆSES.

*Ad*

Ad Præ-Eximium

Dn, Respondentem, Consalinum atque  
amicum singulariter dilectum.

**S**Aucia quæ tenus hac mendaci GRÆCIA dente  
Pioravit, nunc Te vindice fult a redit,  
Et TIBI digna brabea parat: Nam GRÆCVS Apollo  
Imponet capiti laureaserta TWÆ.

Lmq; P.

GOTHOFREDUS Leifner/  
Plaviâ-Variscus, Med. Stud.



**G**Ræcia mendaci jam dudum nomine venit  
Dicere Veracem sedulitatis opus.  
Hoc præstas: utinam Græcorum sisteret orbis  
Se tibi laudanti præmia digna daret  
Quid moror hos? breve erit cum cinget tempora flore,  
Sertaq; donabit Leucoris alma Tibi.

*Hac paucula per eximo atque Doctissimo  
DN. Respondenti convictori suo  
dilecto posuit*

HENRICUS HIERONYMI,  
Schleiv, Hof.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

# KODAK Color Control Patches

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

